



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt XXXVII. Sterilitas proli opposita, an matrimonio, aut coniugibus
officiat?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686


Cum esset desponsata mater Christi Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in utero habens de Spiritu sancto. Ioseph autem vir eius, cum esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Quo exemplo monentur coniuges, ne statim, quacunque etiam de causa, vel vir uxorem, vel vxor virum infamet. Præstat iniuriam pati, quàm facere. Cur euulgas, miser, quod nondum scis esse verum? Et quidem id, quod, etsi verum esset, meliùs occultè corrigi fortasse posset, quàm publica traduci infamatione. Tu autem vxor, tu marite, si innocens es, & tamen hac calumnia affigeris, Deipara exemplum imitare, quæ immensa patientia siluit, neque se ipsam, verbo vilo excusauit, sed Deo innocentia suæ causam excusationemque omnem commisit, meruitque habere Angelum excusatorem. Quod si verò velecto constat, peccasse maritum, aut vxorem deliquisse, scito, in patientia, clypeum esse, cum alia omnia defunt arma. Tertia Emilia Africani prioris vxor, mater Cornelia Gracchorum, tanta fuit comitatis & patientia, ut cum sciret viro suo ancillulam ex suis gratam esse, dissimulauerit: ne domitorem orbis Africani femina impudicitia reum ageret. Tantumq; a vindicta mens eius abfuit, ut post mortem Africani manumissam ancillam in matrimonium liberto suo daret.

Matth. 1. 18.

Val. Maxim. lib. 6. c. 7.

C A P V T XXXVII.

Sterilitas proli opposita, an Matrimonio, aut coniugibus officiat?

 Atis dixisse mihi videor de ijs, quæ *Fidem, primum* matrimonij *bonum*, bono Deo permittente, temerant. Venio nunc ad alterum matrimonij *bonum*, quod est *Proles*, cuius præcipuè gratia matrimonia incuntur. Inde, teste Gellio, *matrimony* nomen est, quia mulier nubit, vt mater efficiatur. *Matrimonium*, inquit S. Augustinus, *ex hoc appellatum est, quod non ob aliud debeat femina nubere, quam vt mater fiat.* Nam, si bestia amanti suos fetus, & gignendus conueniunt liberis, vt Arnobius ait, cur non hominibus quoque coniugia eligentibus proli subrogandæ sit cura, & dulcedo, cum fuerit pro-

I.

Gell. 1. 8. c. 6.

S. August. 1. 19 cont. Faust. cap. 26.

Arnob. aduers. gent. 1. 7.

M m m 3 creata

Macrob. l. 1.
Saturnal.
cap. 16.
A Gellius lib.
17. cap. ult.

creata? Et finis est matrimonij *liberum quarendorum causa*.
Vel, ut illa, apud Ennium, ait: *Ducit me uxorem sibi liberum*
quasendum gratia. Quapropter Caruilius Ruga, apud Gellium,
de amicorum sententia, diuortium cum uxore fecit, quod sterilis esset;
iurassetq; apud Censores, uxorem se liberum quarendorum causa
ducere. Hoc iubet natura, ut genus humanum conseruetur;
hoc voluit Deus, ut repleatur coelum; hoc optant coniuges,
quia in prole supersunt parentes; qui in filijs imaginem suam
intuentur, & solatium habent in successione. Hinc & in viam
dimisso, & spe tardias redeunte Tobia, *flebat mater eius irreme-*
diabilibus lachrymis atque dicebat: Heu, heu me, fili mi, ut quid te
misimus peregrinari lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis
nostra, solatium vita nostra, spem posteritatis nostra? Omnia simul
in te uno habentes, te non debuimus dimittere a nobis. Et apud
Poëtam, magnum quiddam est, *spes tanta nepotum*. Quin & in
sacris, *corona senum filij filiorum* vocantur. Enimvero ipse cale-
stis Pater, de nube, locutus dixit: *Ecce est Filius meus dilectus, in*
quo mihi complacui: quem Filium etsi sine matre habuit, secun-
dum diuinam naturam, ostendit tamen, in filijs è matrimonio
natis esse quandam diuinitatis imitationem; quam & facun-
ditas repræsentat, & amor, qui est erga prolem, tanquam
quoddam eximium bonum, quo mortales, etiam post interi-
tum suum, perseverant, atque immortalitatem, quam Angeli
naturâ suâ habent, propagatione quodammodo assequuntur.
Existimant enim, se in liberis viuere.

II.

Hoc tale tantumque matrimonij bonum adeò multis est
intermixtum malis, ut itidem homines, ob ea, quiritandi po-
tius, quam, ob prolem, Deum laudandi celebrandique, occa-
sionem nancisci sibi videantur. 1. Quam multis profes omni-
no nulla datur? etiam pijs? etiam sanctis? Erat enim Sara *ster-*
ilis, nec habebat liberos. Cuius ancilla Agar concepisse se videns *de-*
sperxit Dominam suam. Quod quam acerbum fuerit Sara, se-
quens satis indicat historia. Ita etiam cernens Rachel, quod in-
facunda esset, *inuicem sorori suæ, & ait marito suo: Da mihi liberos,*
alioqui moriar. Tantum mali est sterilitas, ut mors tolerabilior
senteatur, Quin & alij sterilitate afflicti leguntur, ut Pharaon,
& Ma-

Tob. 10. 48.

Prou. 17. 6.

Matth. 17. 5.

Gen. 11. 30.

Gen. 16. 4.

Gen. 30. 1.

& Manue habens uxorem sterilem. Annam certè affligebat *annu-* Iudic. 13. 2.
 la eius (Phenenna) & vehementer angebat, in tantum, ut expro- 1. Reg. 2. 6.
 braret, quòd Dominus conclusisset vuluam eius, & a. porro illa flebat,
 & non capiebat cibum. Denique & Elisabeth Zachariæ vxor erat Luc. 1. 29.
 sterilis; adeò vt, ex eo natura vitio, illi à populo irridente
 nomen fuerit excogitatum, ita enim ex Angeli verbis colligi
 potest, dum ait: *Hic mensis sextus est illi, que vocatur sterilis.* Luc. 1. 36.
 Vnde videmus, non solum miserum censi, esse sterilem, sed
 etiam probrosum, sterilem nominari. 2. Etsi quidam steriles
 non sunt, tamen in luctum cadunt, dum per abortum amit-
 tunt, quod cum ingenti spe atque lætitia feliciter in vtero con-
 ceptum fuisse intellexerunt. 3. Ipse vterus, quantum onus,
 quot fastidia secum fert? 4. Quoties proles vix nata, in cuius
 moritur, cum tantis parentum lamentis, quantis eorum læti-
 tiji est edita? Quare, quod de Marcello varicinatur ille apud
 Poëtam.

*Ostendent terris hunc tantum fata, neq; ultra
 Esse sinent.*

Virgil. 6.
 Æncid.

idem dici potest de multis, quorum tota vita est, nasci, & de-
 nasci. 5. Quid quòd multis proles nascitur non sua, vel certè
 incerta, ob tot cuculos? 6. Iam verò ante, quàm etiam ge-
 nuina proles nata parentes oblectet, quanti sunt in partu do-
 lores? Quanta est in educandis liberis cura? quanta sollicitu-
 do? quanti sumtus? 7. Quàm multi casus accidunt filijs, qui
 in parentes redundant? 8. Quoties etiam Heroum filij sunt
 noxæ? Neque enim à Cicerone duntaxat filius degenerauit;
 aut vaicus tantum filius fuit, qui *Prodigi* nomen mereretur. Luc. 15.
 9. Denique quot filij & filix non solum, sunt in parentes in-
 gratæ, vt pro amore odium, pro blanditijs conuitia, pro bene-
 ficij mille iniurias renumerent; verùm eo vsque progrediun-
 tur, vt, plus quàm viperina immanitate, illis, per parricidia,
 vitam adimant, à quibus vitam acceperunt? Ob hæc talia non
 pauci maledicentissimis linguis matrimonij lacerant existi-
 mationem, cuius incommoda diuina Prouidentix iudicijs acci-
 dentia, ne civili quidem animo ferunt, cum ferre deberent pe-
 ctore Christiano. Verùm & istos erroris atque dementiæ com-
 pletos

pletos ostendent iudicia Dei ad suas causas reuocata, quæ paulò attentius expensa omnem amouent à matrimonij reprehensionem, omnemque diuinæ prouidentia dispositionem demonstrant prædicabilem & gloriandam.

III.

1. Cor. 7, 28.

S. Basilius lib.
de sancta
virg.

Gen. 3, 16.

S. Ambros.
serm. 90.

Atque in primis è D. Paulo, sciendum est, matrimonij statum, non esse statum ita felicem ac beatum, vt nullis incommodis, aut procellis verberetur. Verum est, si *nupserit virgo* (libera, & innupta, nec Deo consecrata) *non peccauit: tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi, aperientes sibi, per coniugij copulam, dolorum officinam*, inquit S. Basilius. Est enim tribulatio carnis, quæ circa carnem versatur, & carnem affligit; eaque sanè, in matrimonij multiplex. Nam præter seruitutem mutuam, curas, timores, zelotypiam, rixas, familiae apparatus, opum, affinitatum, statuum curandarum & augendarum sollicitudinem, mariti, aut vxoris dominationem, garrulitatem, choleram, linguam, vngues, clauas, fustes, socordiam, ebrietatem, prodigalitatem, paupertatem, planè etiam illa, quæ paulò priùs, recensita sunt, coniuges multos comitantur. Quid ita? 1. Quia Deus nullum omnino, in hac vita, statum voluit esse omni ex parte beatum, ne verè illius æternaque beatitudinis homines obliuiscerentur. 2. Vt sentiretur illa peccato debita maledictio: *Multiplicabo arummas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*; itemque, *in sudore vultus tui vesceris pane*. 3. Quia, ne virgo, quæ cum S. Agnetæ dicere potest, *regna mundi & omnem gloriam eorum contempsi, propter amorem Domini mei IESU Christi*, in matrimonio, sibi omnia aurea & mellea imaginaretur, quemadmodum Paulus, ita & ipse Deus, *tribulationem carnis*, voluptati carnis, quæ in coniugio est, opposuit, ostenditque spinas in rosis latere, absinthiumque saccharo permistum coniugibus propinari. Adeo enim voluptas illa vilis & cum brutis communis, ac verecundiæ plena, momentoque transiens, per tot, & longè grauiiores tribulationes, eliditur, vt vix æstimari mereatur. Et sic quantacunque putatur, profectò magnis & multis incommodis illico, solet magno scenore, compensari. Quæ si quis nosse vult, audiat passim, apud amicos, eoque-

conquerentes coniuges. Alij enim lamentantur, se prole carere; alij, si proles est in spe, prægnantium vxorum morbos accusant, & cum ægrotantibus ægrotant. Statim enim etiam postquam concepta est soboles, subeunt fastidia stomachi, insomnia mentis, vertigines capitis, dentium dolores, melancholiæ, præcordiorum angustia, peregrini & planè absurdi appetitus, defectus virium, imbecillitates insolita, totiusq; naturæ perturbatio. Quin & acerrimi sequuntur in partu cruciatu; qui aliquando tanti sunt, vt, dum prolem in lucem promouent, matrem luce priuent. Neque enim è viuis duntaxat matribus mortui sæpè liberi prodeunt; sed etiam non rarò viuui infantes, è mortuis matribus exciduntur. Vnde aiunt & primum *Casarem*, à cæso matris vtero, esse cognominatum. Et quanquam etiam auspiciatius quis nascatur, tamen quantæ inde molestiæ turmatim exurgunt? quanti nascuntur labores? quàm assidui, in domo, ploratus & eiulatus? An non proles edita mox quotidie & continuò mundanda est, cibanda, fascianda, vestienda, reponenda, cunis agitanda, vt dormiat? eximenda, vt fugat? disponenda, vt exoneret? verbis & cantu assiduè mulcenda, ne ploret? ita vt matres, totos dies & noctes, circa infantes occupentur, nec aliud fere facere, aut cogitare possint. Omitto sordes, pædorem, lauaciones mille, morbos innumeros, pericula assidua tam matrum, quàm paruulorū. Hæc talia tanquam acetum sunt coniugalis voluptatis. Hæc inobediens illa mater meruit cui dictum est: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries. His malis libera est virginitas*, inquit S. Chrylostomus, & continentia. In coniugio autem haud facile est, hæc non inuenire. Quod si in rebus, quæ secunda videntur, tantæ molestiæ ac calamitates existunt, quid in illis fieri dices, quas aduersas esse constat? non enim est coniunx de vna morte sollicita, licet illi semel tantum moriendum sit; neque pro vnicâ anima laborat, licet vnicâ prædita sit, sed in timore & tremore versatur viri, liberorum, cognatorum, seruatorum, & quo radix in plures diffunditur ramos, eo maioribus ipsa curis afficitur; & in his singulis, siue iactura pecunia facta sit, siue corpus morbo teneatur, siue quid, quod nolit, acciderit, lamentari debet, non secus ac illi,

N n n qui-

Plin. lib. 7.
nat. hist. c. 9.

S. Chryf. lib.
de virginit. c.
53.

quibus acciderint. Quòd si illi prius moriantur, lugebit ipsa: quòd si parum remanserit, nec sincerum solatium reperiet; timor enim, quo eius afficitur animus, & sollicitudo pro viuis & mortuis, terret eam. Quam autem vitam viuet, qui alienas calamitates cogitur lugere? At, inquires, non omnibus hac accidunt semper. Sed neque omnes omnium sunt expertes. Quicumque autem rei periculum non fecerunt, eos tamen eiusdem expectatione esse cruciatos. At virginitas à re, tum à rei timore libera est. Præstat ergo status virginitalis. Qui autem putant se, in matrimonio, voluptatem consecuturos, nòrint voluptati annexas esse tribulationes, vna cum delicijs in trutinam mittendas; ad quas nunc peculiariter considerandas accedam.

IV.

Luc. 13. 4.

1. Steriles sunt multi parentes? ita est, non potest negari. Similes sunt vxor sterilis, & arbor sterilis, quæ fructus nullos parit, & frustra terram occupat. Planè sic res habet. At quid si multis sua sterilitas prodest? Multi damnarentur, si filios haberent; vel quia eorum exorbitante amore Dei amorem amitterent, & alios, per vim & fraudes, depauperarent, vt ditarent suos: vel quia eos in timore Domini, non educarent, sed in omni vestium, lenocinij, vitæque vanitate. Ne incandescat in filijs impijs, ait Ecclesiasticus, si multiplicentur: nec oblecteris super ipsos, si non est timor Dei in illis. Non credas vita illorum, & ne respexeris in labores eorum. Melior est enim vnus timens Deum, quàm mille filij impij. Et utile est mori sine filijs, quàm relinquere filios impios, qui mundum disturbent, iram diuinam prouocent, Orcum impleant. Quàm miserum est, filios gehennæ & flammis peperisse! Multi aded sunt inopes, vt se ipsos sustentare non possint, qui cruciantur, quoties eis filius nascitur, in eadem paupertate inediaque victurus. Vnde de tali parente vulgus, non sine sarcasmo, dicere solet illud; *Generauit filium, qui in summa egestate erit.* Vt quid hæres desideratur, vbi deest hereditas, qui ex genitoribus egenis faciat pauperiores? & famentibus etiam id, quod modicum habent, deuoret? Sæpe etiam nimis auidi opum corradendarum, sic dedocentur avaritiam sectari, cum videant, sibi deesse, quibus diuitias colligant, & accumulent thesauros. Nam si, qui steriles se esse experiri-

Eccl. 5. 13.

tur, Usque ad canitiem, & nostrum istud vivere triste, ut nummis parcant, genium suum defraudant; citò inuenient, qui dicat: Considerans reperi & aliam vanitatem sub sole: vnus est, & secundus non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius diuitijs: nec recogitat dicens: Cui laboro, & frando animam meam bonis? in hoc quoque vanitas est, & afflictio pessima. Sapientiùs alij vtuntur sua sterilitate. Nam cum eis hæres non est in tertis, Deum, aut Diuos, in cælis, bonorum suorum hæredes scribunt; ut faciant sibi amicos de mammona inquit aitis. Quot, hac occasione templa sunt ædificata, dotata, ornata? quot structa monasteria? quot erecta gymnasia? quot fundata stipendia? Infinitus hîc campus esset enumerandi. Sufficiat notissimum illud, quod Ecclesia quotannis celebrat.

Eccle. 4. 8.

Luc. 16. 9.

Liberio Summo Pontifice Ioannes Patricius Romanus, & uxor pari nobilitate, cum liberos non suscepissent, quos bonorum hæredes relinquere, suam hereditatem sanctissima Virgini Dei Matri vouerunt: ab ea summis precibus assidue petentes, ut in quod piam opus eam pecuniam potissimum erogari uellet, aliquo modo significaret. Quorum preces & vota ex animo facta, B. V. Maria benigne audiens miraculo comprobauit. Nonis igitur Augusti, quo tempore in urbe maximi calores esse solent, noctu nix partem collis Exquilini contexit. Dei autem Mater seorsim Ioannem, & seorsim eius coniugem, enimuero ipsum etiam Summum Pontificem edocuit, quid eo portento significaretur. Stat igitur Ecclesia sanctæ Mariæ maioris dicta in monumentum facundissimæ sterilitatis, ut qua possit etiam eiusmodi templa generare.

In Breuiario Rom. 5. Aug.

V.

Esto itaque, à Deo sine quidam coniuges infæcundi, sterilitas tamen illis utilis est. Quis non laudet potius, quam accuset utilitatem? Et sane, sterilitatem à Deo esse, probè sciuit etiam Iacob, licet fortasse Rachel ignorârit; qua dicente, Da mihi liberos, alioqui moriar, iratus respondit Iacob: Num pro Deo ego sum, qui priuauit te fructu ventris tui? Quo loco aiunt Hebraei, Deum sibi quatuor clauas naturæ reseruasse, clauem pluriarum, ut eas ad libitum emittat, & effundat ex suis thesauris: clauem uite, seu generationis: clauem alimonie ad famem depellendam: & clauem sepulchri orum, id est, resurrectionis. In folijs

Gen. 30. 2.
De plurijs Deut. 28. 12.
de fame. Pal. 144. 16.
de resurrect. Ezech. 37. 12.

Nnn 2.

igitur

Prou. 13. 22.
Pfal. 127. 3.

Leuit. 20. 20.

Luc. 1. 6.

Pfal. 83. 13.

VI.
Isa. 3. 10.
Sap. 10. 10.

Iudic. 13. 2.
Luc. 1. 13.

igitur Numinis potestate est, donare, vel negare filios. Ex illius benedictione, *bonus relinquit heredes filios, & nepotes*, & ad eum, qui timet Dominum, dicitur: *Vxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domus tue. Filij tui, sicut nouella oliuarum, in circuitu mensae tue. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.* Præuaricatoribus autem sæpius dicitur: *Absq; liberis morientur, absq; liberis erunt.* Est itaque sterilitas à Deo, & est, tanquam pœna, à Deo. Quanquam non semper tanquam pœna: cum utique Abraham & Sara, itemque Zacharias & Elisabeth, alijque steriles legantur iusti extitisse. Siquidem de his dicitur: *Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini, sine querela, & non erat illis filius, et quod esset Elisabeth sterilis, & ambo processissent, in diebus suis.* Quid ita iustos affligit Deus, ut illis benedictionem prolis subducatur? quid in illis reperit puniendum? ille Deus, qui non *priuat* bonis eos, qui *ambulant in innocentia*?

Respondet Isaias: *Dicite iusto, quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet. Quocumque duxerit Deus, iustum duxit per vias rectas.* Non punit, qui dat meliora. Bonum ergo fuit iustis, & *per vias rectas eos duxit*, quando eos duxit ad vitam perfectiorem; ut, amore toto, quem in liberis partitum impendissent, in datorem liberorum translato, dicerent: *Deus meus, & omnia.* Se magis amat, quam Deum, qui Deum propter liberos amat duntaxat. Deum propter Deum amat, qui Deum amat, etiam optatis liberis destitutus. Quod sancti illi fecerunt, qui, cum steriles essent, tamen iusti esse non desierunt. Quanquam & alij de causis eos sapientissima Dei bonitas, ad tempus, liberis priuauit, ut scilicet & agnoscerent, cum Iacob, vnde hoc donum esset, atque, pro eo dono adipiscendo, Deum precarentur; utque diu dilatatum gaudium cumulatius cresceret, filio in senectute demum concesso. Denique obseruent Sancti, plerisque diu sterilibus parentibus postea natos, magnos atque admirabiles euasisse. Sic Abrahamo suus Isaac, sic Racheli Iosephus, sic parentibus suis fortis ille Samson; sic Annæ magnus Samuel, sic Zachariæ & Elisabeth, Ioannes datus est, Angelo ad Zachariam dicente: *Vxor tua Elisabeth pariet tibi*

tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem: & erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt: erit enim magnus coram Domino, &c. Sic, teste S. Damasceno, Ioachim venerandam & dignam laude Annam in matrimonium duxit. Sed quomodo vetus Anna, cum sterilis esset, per votum, & repromissionem genuit Samuelem: ita & hac per supplicationem, & repromissionem, Dei genitricem, diuino munere accepit: ut & in hoc nulla illustrium mulierum posterior esset.

S. Ioan. Damascenus de Fid. orthod. lib. 4. c. 15.

Quid pusillanimes estis, o steriles, si natura vobis non morigeratur: aut si preces vestrae non audiuntur? Negat vobis filios Deus? At aliquid dat, quod est praestantius. Se ipsum dat, & vos illis Elcanæ verbis compellat: *Nunquid non ego melior tibi sum, quam decem filij?* Non habetis haereditates? At Deus ipse, cuius sunt vniuersa, dignatur haeres esse vester, ille vult acceptare à vobis, quod ipse dedit. Ideo liberis caretis, ne vobis necesse sit, thesauros reponere. Liberiùs, & liberaliùs opes dispensat, qui scit, se filijs nihil prodigere. Si filij vobis defuerint, pauperes pro liberis habete; in illos nummos vestros effundite; hos à vobis vult Deus nutriri, loco filiorum, sicut Iob eos tanquam filios habuit. Cui etsi filij & filiae essent; tamen adeo liberalis fuit in egenos, ut patrem pauperum se merito appellaret. Vobis quæ erit excusatio, si diuitijs abundatis, neque de dote vlla corradenda solliciti estis, & tamen neque templis, neque Religiosis, neque alijs Dei ministris, aut peregrinis, aut ægrotis, aut ante fores vestras iacentibus, nummularum aut ciborum quidquam suppeditatis; bis miseri, & quia prole priuamini, & quia non vtimini, ad salutem vestram, vestra sterilitate. Quid si eleemosynis vestris etiam à Deo haereditas impetraretis, sicut planè multi & precibus, & eleemosynis filios impetrauerunt; neque pauci votis & Diuorum inuocatione, filios adepti sunt. Sic enim vult amicos suos honorare Deus; sic rogari ipse, ut spem nostram fiduciamque exerceamus. Exempla sunt plurima. Ad hunc enim modum deprecatus est Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis: qui exaudivit eum, & dedit ei conceptum Rebecca. D. Chrysostomus censet Isaacum per viginti annos, orasse, pro tollenda Rebecca

VII.

1. Reg. 1. 8.

Iob. 29. 16.

Gen. 25. 21.

S. Chrysof.
hom. 49.

sterilitate, ac, vigesimo demum anno, id impetrasse. Isaac quippe duxit Rebeccam anno ætatis suæ quadragesimo, ac demum, anno sexagesimo, genuit ex ea Jacob & Esau, ut & nos, ait S. Pater, *amulantes iustum, assidui sumus, in diuinis precibus, quando aliquid à Deo petierimus, si enim iustus ille ita virtute præditus, & tantam apud Deum gratiam habens, tantam præ se tult constantiam & studium, continuò Deum orandi, ita ut salueretur Rebecca sterilitas; quid dicemus nos, qui tantis peccatorum oneribus premimur? Sed et si paruo tempore studium aliquod & diligentiam exhibuerimus, torpescimus, & resiliimus, nisi statim exaudiamur.*

VIII.

Existimant Hebræi, Rachelem, cum diceret ad Jacob, *Da mihi liberos*, ad Isaac & Rebeccam alluisse, ut sensus sit: *Da mihi liberos*, sicut dedit Isaac pater tuus Rebeccæ, precibus scilicet suis impetrando, ut Rebecca fecunda esset. Itaque ora, ad eum modum, mecum & tu, Jacob, exemplo parentis tui. Nam Rachelem orasse, feminam tam piam, dubium non est; sed volebat habere maritum unam precantem, ut duos Deus citius exaudiret. De Anna quis nescit? quæ cum esset amaro animo, orauit ad dominum sensu largiter, & votum vouit dicens: *Domine exercituum, si respiciens uideris afflictionem famula tua, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancilla tua, dederisq; serua tua sexum virilem: dabo eum Domino omnibus diebus vita eius, &c.* Ad hunc modum illa multiplicauit preces: quibus & Heli suas adiiciens dixit: *Deus Israël det tibi petitionem tuam.* Zachariæ item non nisi in templo oranti, & incensum ponenti apparuit Angelus, filiumque promisit. Ac, ne quis nesciat, eum tunc à Deo filium poposcisse, perspicue id Angelus indicauit illis verbis; *Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua: & uxor tua Elisabeth pariet tibi filium.* Hæc ergo erat eius apud Deum deprecatio. Audire hæc, qui tantopere filios desideratis. Filij à Deo, precibus & diuinis laudibus, non blasphemijs, non impatientijs, non incantationibus magorum impetrantur. Facessere debent Orciniana remedia, apud eum, qui è cælo auxilium expectat.

1. Reg. 1. 10.

Luc. 1. 11.

IX.

Vult autem & sanctos suos Mundi Gubernator, his beneficijs largiendis, illustrari. Extant plurimæ, in probatis authoribus,

thoribus, historiarum, quæ id confirmant, de Deipara, de Apostolis, de alijs Sanctis. De Deipara Lucius Marinus hanc tradit. Toleti duo ciues erant, stirpe & pietate clari, Stephanus & Lucia, bonorum coniugum exemplar. Sed prole carebant. Hi, quod natura negabat, à Superis petiére. Pater assiduè munera pauperibus erogabat. Mater dies noctesque, orationibus ad Dei genitricem fufis, impendebat, rogitans identidem, vt sibi tandem diu optata proles nasceretur. Huic quiescenti aliquando Maria Virgo clara in luce, sese visendam præbuit, eamque his verbis affata est: *Lucia, tibi filium prænuncio nasciturum, qui magnam Hispanis omnibus lucem afferet.* Hæc vbi locuta est, diuino splendore luculentius radians, ab illius oculis euauit. Prædictionis veritatem euentus probauit. Natus est enim inde S. Ildefonsus, clarissimus Archiepiscopus Tolertanus, cui, post illa, rem diuinam celebraturo Dei eadem parens vestem candidam obtulit, qui & vitam suam illi consecrauit, à qua acceperat. Magno numero similia possent recenseri, quæ vicinis & temporibus, & locis contigerunt; sed nota non indigent narratione. Post Deum ad neminem, in hæc caussa, dignius recurritur, quàm ad Mariam, quæ cum sit Mater DEI, merita est vtique etiam, vt sit patrona matrum aliarum.

De Apostolorum auxilio, extat in marmore quodam Romæ, in templo S. Saluatoris de Lauro, præclarum sanè monumentum. Anno 1474. Ioannes Mates & Catharina Calagnira Barcinonenses, cum annos octo egissent, sine prole, pro ea obtinenda, voto domi concepto; & in ipsa S. Seueri Ecclesia, renouato, sacrum solenne faciendum curarunt, in honorem duodecim Apostolorum, accensis totidem cereis, quorum singulis singula Apostolorum nomina scripta affigebantur. Audierunt Apostoli vota precantium. Quippe sequentibus duodecim annis, duodecim proles habuerunt. Indita sunt & filijs nomina Apostolorum. Quodque fuit mirum, singuli quoque, postquam vitæ suæ terminum attigerunt, circa festum illius Apostoli, cuius nomen gerebant, obiére. Vltimus fuit superstes Petrus Mates, I. V. Doctor & cubicularius Apostolicus, qui & hæc, Romæ, in marmor incidi curauit, in S. Saluatore de Lauro.

Lucius Marinus. Sic. lib. 5. de reb. Hisp.

X.

Sur. 13. Sep-
tembr. in vit.
S. Mauril. &
10. Septem. in
vit. S. Nico-
lai.

Lauro. Qua Ecclesiâ flammis absumtâ, marmor in claustrum est translatum. De Martyribus, de Confessoribus, deque alijs Sanctis, ac præsertim etiam de S. nostro Ignatio, sunt tot exempla, vt volumen conficerent. De S. Maurilio sterilem faciente, Surius testatur, vti & de Amata S. Nicolai Tolentini matre, quæ, postquam jam multo tempore vixit cum marito suo sterilis, magno prolis desiderio ardens, sicut & vir eius, imitatione Annæ veteris, in templum intrans, incensissimâ pietate erga S. Nicolaum Episcopum exardescens, fensque vberimè, votum Domino eiusmodi verbis nuncupauit: *Domine IESU Christe, qui omnia potes, respice pietatis oculis ancillam tuam, & aufer à me sterilitatis opprobrium, præstâq; mihi vt filium concipiam, seruum tuum, eumq; pariam in laudem & gloriam nominis tui. Sed quia preces mee parua sunt, & exiles, in conspectu maiestatis tuæ, S. Nicolaum Antistitem tuum, suppliciter deprecor, et eius orationibus merear à te Deo omnipotente consolationem accipere: polliceor enim, me celeberrimum eius tumulum adituram, vna cum marito meo, seruo tuo.* Hac formulâ orauit. Nocte media, Angelus & illam, & maritum iussit ad S. Nicolaum Barrensem peregrinari. Eò vbi venêre, inter precandum, ante altare illius, præ lassitudine in somnum lapsi ipsum Pontificio ornato Nicolaum conspexerunt, qui eis filium promisit suo nomine appellandum. Hinc ergo Nicolaum Tolentinum nacti sumus. Qua vna in re & suam potentiam, & Sancti sui gloriam, & sterilitium parentum fidem atque pietatem, & ad extremum sterilitatis remedium mundi Rector demonstrauit.

XI.

4. Reg. 4. 14.

Erunt, qui hæc vt sunt somniata, sic referri dicant. Sed non poterunt inficiari, eam piorum hominum esse, apud Deum, auctoritatem, vt etiam in viuis, atque hac mortali terra, prolem legantur obtinuisse. Elisæus Propheta hospitij gratiam compensaturus ex Sunamitide, Giezi iusserat interrogare, quidnam sibi cuperet vicissim gratiæ reponi? cui Giezi, *Ne quæras,* inquit, *filium enim non habet, & vir eius senex est. Præcepit itaq; vt vocaret eam: quæ cum vocata fuisset, & stetit ante ostium, dixit ad eam, in tempore isto & in hac eadem hora, si vita comes fuerit, habebis in utero filium.* Dixit ille, nec aures duntaxat saginavit.

VL

Ut dixit, ita etiam evenit. Nondum abbreviata est manus Domini: etiam in nouo testamento, per suos Sanctos, similia patrauit. *Leo Magnus, qui Romanum administrabat imperium, naturam autem regere non poterat, quia proles ei deerat mascula, quid fecit? Confugit ad Deum omnium Dominum, apud ipsum Daniele vsus intercessore. Ille verò paruit, & anno sequenti parituram esse uxorem protinus significauit. Res ergo, ut dixerat, successit, & natura cessit precibus, non solum ad hoc, ut daret filium, sed ad hoc etiam, ut daret illo tempore, quo sancti os diuinum prädixerat. Sic ille non solum erat filius precatationis, sed etiam per preces dabat alijs, ut haberent filios. Idcirco eum remunerans Imperator tertia columna iecit fundamentum.* Ab eodem postea Daniele eminens femina Rais contendit, ut funiculum, quem ei porregerat, pedi ex assidua statione læso circumuolueret sacraretque, rata sancto contactu funiculum fore sterilitati pellendæ salutarem. Annuit Daniel, simulque & filium eam habiturum, & Zenonem nominandum prædixit. Pari pacto, cum, apud Scotos, quondam David rex, eximia fortitudine ac prudentia vir, regni gubernacula teneret, ducta in matrimonium Cæcilia regis Sicilia filia, postquam multo tempore, nulla spe prolis, vnâ vixissent, tandem precibus Guallafferi Dublinensis Antistitis filium à Deo impetrarunt, quem idem Guallafferus lustralibus aquis tinctum Rumoldum nominauit, atque etiam in disciplinam susceptum optimis moribus imbuir. Ex quibus omnibus videre licet, Deum non solum habere iustas grauesque causas, sed etiam pulcherrima remedia sterilitatis permitteudæ, aut tollendæ.

Enimverò cum primi motoris sit, secundarum causarum cursum non impedire, sit persæpe, ut natura aliorum aliter sit disposita, aliosque siccitas nimia, & alios nimia frigiditas, vel instrumenta gignendi reddant ad generandum inhabiles. Quæ medicorum scholis disputanda relinquo. Illud solum addo, Deum non astringi, ad homines miraculis sanandos. Sicut ergo alios morbos, ita & hoc naturæ vitium potest suæ indoli relinquere. Neque verò merentur omnes, ut à maleficis & maleficijs defendantur; cum sibiipsis non caueant, neque

ooo

Deum

Sur. 11. Decemb. in vita Daniel. Styl. c. 21. Baron. An. 476.

Ibid. c. 41.

XII

Deum orent, ut illis caueatur. Quamobrem frequentissime, vel ex inuidia amulorum, vel vindicta rivalium, vel odio inimicorum, accidit, ut, sponsi, præsertim tempore nuptiarum, magicis artibus ligentur. Dædalum huic rei inueniendæ fuisse Alastorem, non debet ambigi. Et, præter Doctores, ostendit quotidiana experientia, maleficijs matrimoniorum vsum impediri. Nouit enim nimis diabolus, quibus id fieri modis possit. Quorum quidem complures ab authoribus recensentur. At quid inde? An non tales, eiusmodi permitti malum, potuerunt commereri? An non, si sunt innocentes, vel hac cruce possunt patientiæ coronam consequi? An non sunt Ecclesiæ exorcismi, aut auxilia Sanctorum? Enimuerò, an non impotentia ex maleficio surgente, si illud sit perpetuum, matrimonia dirimuntur? An non leguntur etiam maleficio soluti, qui penitentia acta iram Dei maleficium permittentis mitigauerunt? Quod si nullum remedium humanum aut diuinum iuuat, patientia iuuat, quæ nullum Christianum sinit maleficia maleficio tollere. Semper enim malum est, mali dæmonis auxilium inuocare. *Non declinetis ad magos, neque ab hariolis aliquid sciscitemini*, ait Deus. Magni res meriti est, potius prole orbari velle, quàm ad illicita remedia currere. Et ipse humani generis hostis, sæpe maleficijs mortales vexat, ut ad maleficia alijs maleficijs abolenda pelliciantur. Honorat enim eum, quisquis ab illo opem flagitat.

S. Thom. 4.
dist. 34. quæst.
vnic. art. 3.
De trinitate lib. 3.
dist. 9. q. 4.
sect. 8.

Sancti 1. 7. de
matrim. d. 94.
n. 8. & seqq.

Leuit. 19.

XIII.

Gen. 38. 7.

Hæ omnes causæ tamen non essent, an non ea Deo sufficeret, quia ipse vitæ author est, & scit, num profuturi sint coniugibus liberi, an eos in calamitatis barathrum acturi? Quàm multis liberi obsunt? Quàm multi, per summum nefas, prolem ipsi intemperantia cibi & potus, astrictione, pharmacis & superstitiosis, alijsque nefandis artibus, impediunt ne concipiatur? Tales sunt, qualis fuit *Her primogenitus Iudæ, nequam in conspectu Domini: & ab eo occisus est.* & qualis fuit Onan frater eius, qui sciens, non sibi nasci filios, introiens ad uxorem fratris sui semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur. Et idcirco percussit eum Dominus, quod rem detestabilem faceret. Vbi non solum Hebræi, sed etiam nostri authores consentiunt, tam

Her,

Her, quàm Onan mollitiei & retractus peccato grauissimè, contra naturam generationis, finemque matrimonij, deliquisse; remque, vt scriptura ait, *detestabilem* fecisse; quam, quia, factum perdit, Hebrèi solent cum homicidio comparare. Quam sceleris enormitatem, quia multi coniugum, ob inopiam, liberos euitantium, non satis agnoscunt, meritò Confessarij poenitentibus debent inculcare. Ob hoc crimen Her *occisus est*. Ob hoc flagitium Onam *percussit Dominus*. Vtique per Angelum, malum, quemadmodum per Asmodæum, libidinosos Saræ maritos. Nec sanè vulgari morte sublatis sunt, sed, vt Abu. Tob. 3. 7. lenis animaduertit, terribili plaga, quæ ab irato Deo venisse, palam notaretur. Quod si, illo tam rudi adhuc sæculo contigit, quæ poena manebit eos, qui crimen istud, post tam claram Euangelij lucem, & tam seueram D. Pauli dicentis: *neque molles regnum Dei possidebunt*, sententiam, toties iterant? Heu quantum, hoc scelere, & mundum inquinari, & irritari Deum, vidit, & testata est S. Christina mirabilis? quàm paucos ex hoc coeno emergere, qui diutiùs in eo hæserint, alij experti sunt? Quantum denique, in æternis flammis, tormentorum isti sibi deliciares thesaurizant? Si hos tales nascituros videat Mundi Gubernator, an non rectè velit potiùs coniuges steriles esse, quàm talium liberorum parentes? quibus vtique melius est non nasci, quàm nasci naturæ euerfores, homines mastigeos, inferni titiones.

Denique vt, diuersis modis, punire mortales Deum posse intelligamus, punit is alios sterilitate, alios ipsa multitudine, liberorum. Hinc, vt sæpe audimus, diuites abundare opibus, sed carere gnatis; ita multos scimus, qui ipsi non habent, quod rodant, & tamen, totos numerant greges filiorum, vxore, singulis annis censum dante. Nimirum vult illos Numen, hac ipsa comedentium copia excitare ad laborem. Non rarò, etiam temerè de alijs cogitantes sic plectit, vt ipsi habeant, quod in alijs vel vituperio, vel sarcasmo dignum esse, censuerunt. Neque enim inuitæ risus ebullijt, aut incogitanti excidit calumnia illi dominæ, quæ poena talionis punita nobilissimæ Welforum, profapia nomen fecit. Irmentrudis Isenbardi Comitis Altorfi

Tob. 3. 7.

1 Cor. 6. 9.

XIV.

Philipp. Camerar. Cons.

000 2

vxor,

tur. 2. horar.
subcessuar.
c. 66. ex Rei-
neri Reinec-
cij historia,
de profapia
VVelforum.

vxor, fæminam quandam vidit, quæ tergeminos pepererat: eam non solum adulterij insimulare ausa fuit, quod fieri posse negaret, vt ex vno viro tot simul liberi conciperentur, sed insuper vt culeo insueretur, & in profluente submergeretur, apud maritum, temerario ausu, accusauit. Vna opera & hanc puniuit, & illam defendit innocentium Protector Deus. Vix annus ierat, cum & ipsa Irmentrudis vterum gessit, maritoque absente, liberos omnino duodecim enixa est, mares omnes, sed corporibus perpusillis. Quamobrem suo ore damnata, & adulterij infamiam, & pœnam talionis meruit. Verita igitur, ne maritus redux, eodem argumento similiq̃ue in illam sententia vteretur, eamq̃ue in prætersluentem proijci iuberet, mandauit ancillæ, vt è recens natis vndecim clam in propinquum riuum enecandi iactarentur; vnico retento, quem ipsa educaret. Noluit innocentes petire Deus, uoluitq̃ue feminam temeritatis ream palam facere. Itaque Henbardus alunde domum rediens, in illam ipsam mulierculam incidit, quæ mergendos infantes baiulauit. Quæsiuit, quid in pollubro ferret? Respondit illa expedito mendacio, catulos se ferre degeneres, quos in riuo Schercij vellet suffocare. Iussit eos Comes reteri inspicendos, & tergiuersante muliere, cupi litate videndi magis incensus, imperiosius iussit, frustra q̃ue refragante illa, operculum detraxit, reperitq̃ue, pro catulis, infantes vndecim. Adhibitis igitur grauissimis minis edoctus, quid coniugi suæ accidisset, omnes seruari, & clam vxore educari iussit. Hos postea pubescentes, vnâ cum filio, quem mater domi eduxerat, vocatos vxori stitit: quæ, cognita lineamentorum similitudine, & stimulante conscientia, rem totam, vti acciderat, confessa, veniamq̃ue deprecata est. In huius rei memoriam illustis Welforum familia nomen sortita est. Maluisset vtiq̃ue hæc domina minus esse facunda, quæ, anno priore, nimis facunda fuit, verbo per jugulum redituro.

XV.

Ludou. Guicciard. in descriptione

Longè adhuc euidentior Dei manus fuit in simili historia, quam non Fazellus modò & Erasmus Roterodamus, sed etiam Ludouicus Viues, Ludouicus Guicciardinus. Guido à Domino Petri, & Ioannes Christouallensis, aliq̃ue testatissimam reddunt.

reddunt. Anno salutis c^{lo} cc. LXVI. paupercula quædam femina, à Margarita Henneburgensi Comitissa subsidium, ad vitam sustentandam petierat. Et, ut eius misericordiam ampliùs prouocaret, puerpera erat, tantoque indigentior, quia pepererat gemellos. Quàm magna est coniunctio, inter superbiam & opes? Comitissa enim, quæ opulenta erat, facile præ se omnes despiciebat, proiectaque erat, ad alios temerè judicandos. Itaque inopem illam, non solum, sine stipe, inanem à se dimisit, verùm etiam, de crimine admissò, ac velut adulteram instimulauit: ac pro eo, quo erat factu, tanquam ex tripode, pronuncianit, sibi contra naturæ vires videri, faminam castam, ex vno viro, gemellos concipere posse. Quapropter, hoc utique gemellorum partu proditum esse, illam coniugialis fidei oblitam, sese alijs viris, præfractè turpiterque prostituisse. Duplici ictu vulnerata innocens paupercula, & ignominiosa scilicet repullæ & criminosa exprobrationis, ingemuit; oculisque in cælum sublatis: *Vos Superos pudicitia mea reses, teq; ipsum cordium inspectorem Deum appello, dixit, rogq;, ut, quia mihi opes, ceteraq; fortuna bona negastis: saltem innocentiam meam, fidemq; coniugij inuiolate seruatam defendatis. Luculentè autem me defensam tunc arbitrabor, si videro ab insolenti hac Comitissa, vno partu, tot liberos in lucem editos, quot dies annum complent.* Quàm verè dictum est: *Qui deridetur ab amico suo, sicut ego, innocabit Deum, & exaudiet eum, deridetur enim iusti simplicitas. Lampas contempta, apud cogitationes diuinitum, parata ad tempus statutum!* Paupercula illa, pro stipe, clamauit ad sibi astantem dominam, & non est audita: clamauit vsque ad cælum, & est exaudita. Itaque, Anno Christi suprâ nominato, c^{lo} cc. LXVI. ætatis autem suæ XLII. ipso die Parasceues, nona hora antemeridiana, Margarita Henneburgensis Comitissa infantes viuos & integros promiscui sexus trecentos sexaginta quatuor peperit; singulos magnitudine gallinarum. Lustrati sunt sacris vndis omnes. Masculis Guido (vel ut alij volunt, Otto) Ioannis, ac femellis Elisabethæ nomen imposuit. Fuit autem Guido, qui eos iniitauit Episcopus suffraganeus Traiectensis. Fama, per ciues, ducta, & publicis inscriptionibus est celebrata. Infantes verò,

Belgij Guido à Domin. Annal. Flandric. lib. 9. Ioan. Christouall. in Itinerario Philippi Reg. Hisp. cum ad Carolum V. in Germaniam iret.

Iob. 12. 4.

haud diu postea, cum matre è vita decedentes, in eadem simul vna, tumulati sunt, in Monialium ordinis S. Bernardi monasterio Loduno, non procul ab Haga Hollandiæ vico maximo, vbi hoc Epitaphium illis est positum. *Illustris Domini Florentij Comitis Hollandiæ filia, cuius mater fuit Mathildis, filia Henrici Ducis Brabantie, fratrem quoque habuit Gulielmum Alamanni Regem. Hac præfata Domina Margareta, Anno salutis millesimo, ducentesimo, sexagesimo sexto, ætatis suæ anno quadragesimo secundo, ipso die parasceves, hora nona ante meridiem, peperit infantem viri- nos promiscui sexus, numero trecentos sexaginta quatuor; qui, postquam per venerabilem Episcopum Dominum Guidonem Suffraganeum, presentibus nonnullis proceribus, & magnatibus, in pelui quædam baptismi sacramentum percepissent, & masculus Ioannes, famulis verò nomen Elisabeth impositum fuisset, ipsorum omnium simul, cum matris anima ad Deum æternaliter victura, redierunt: corpora autem, sub hoc saxo requiescunt.* Sicut ergo sterilitas & poena, esse potest, & beneficium Dei, ita potest etiam fertilitas partum non tantum eiusdem esse donum, verum diuinæ quoque vindictæ monumentum. Optimè igitur faciunt, qui in vtramque partem contenti Conditozem laudant, seu dantem liberos, seu negantem.

CAPVT XXXVIII.

Cur Matrimonia abortibus contriscentur?

L

R

langebant piæ mulieres Christum, cum cruce ornatum in supplicij locum exiret; ad quas ille conuersus, iubebat eas super se ipsas flere, & super filios suos. Causam adiiciens dicebat: *Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beata steriles, & ventres, qui non genuerunt, & vbera, que non lactauerunt.* Quod vel ad obsidionem Hierosolymitanam, vel ad extremi iudicij tempus pertinebat, quemadmodum & illud: *Va pregnantibus & nutrientibus in illis diebus.* Sed profectò potest etiam appositè, reliquis temporibus accommodari. Sæpe enim tantis prægnantes & nutrientes malis afficiuntur, vtpalam beatas vocent steriles, quæ non genuerunt. Nam etiam conce-

Luc. 23.29.

Matth. 24.19.